



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 1. Principium 1. Nihil volitum, nisi præcognitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

ARTICULUS I.

De Principiis ad Actus humanos in Genere spectantibus.

§. I.

PRINCIPIUM I.

Nihil volitum, nisi præcognitum.

Sensus.

Hoc est, quisquis non prius cognovit aliquo saltem modo bonitatem vel malitiam quampiam in objecto, quod amicitur, latere, ei non potest bonitas illa vel malitia ad laudem & præmium, vel ad vituperium & pœnam imputari. Dicitur aliquo saltem modo: quia non claram & perfectam requiritur cognitionem colligitur ex iis, qui cum ignorantia culpabiliter inspectata objectum aliquod peccaminosum amplectuntur, licet certò non sciant inibi latere malitiam, quia tamen in confuso cognoscunt, & suspicantur, prohibitum esse illi objectum, & ad certitudinem indagandam se obligari, propterea huic suæ obligationi satisfacere student, ideo merito sufficiens creditur hæc confusa cognitio ad hoc, ut talis malitia illis imputetur, uti infra iterum ex alio axioma ostendetur.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Thoma l. 2. q. 9. a. 1. Suar. d. metaph. lect. 7. n. 4. Tann. to. 2. q. 2. n. 13. & 14. ubi concluditur, solam intellectus præcognitionem sufficientem & proportionatam esse ad hoc, ut voluntas per illam moveatur; vocaturque hoc axioma ab Aristotele 3. de anim. c. 10. primum principium.

Ratio.

Quia, cum voluntas humana cæca sit, hoc ipso progressu ad prosecutionem vel fugam Objecti non potest, nisi ab intellectu velut Oculato Duce manuducatur, & dirigatur. Unde

Unde in eundem sensum alii dixerunt: *Ignoti nulla cupido*
& *Quod quis non novit, hoc non dolet.*

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui peccatum in se gravissimum committit, formaliter non contrahere malitiam, si nesciverit, actum à se elicitem esse peccaminosum, uti communiter docet Theologorum sententia.

Deducitur 2. Eum, qui credit, actionem aliquam sub veniali duntaxat peccato esse prohibitam, non contrahere malitiam, quàm venialem malitiam, licet alioqui actio illa mortaliter sit peccaminosa, uti iterum, unanimiter docent Theologi.

Deducitur 3. Eum, qui percussit Clericum, putans se Licentem verberare, non incurrere Excommunicationem in Persecutores Clericorum latam, uti ex cap. Si verò 4, de Sententia Excomm, colligitur.

§. II.

PRINCIPIUM II.

Non inest Actui Moralitas, si desit voluntati Libertas.

Sensus.

Hoc est, non censetur quis bene vel malè egisse, atque ad laudem vel vituperio dignus, si debita ad operandum Libertate careat, seu, quod idem est, non præcedat indifferens cogitatio, quæ voluntatem expeditam relinquat ad agendum vel non agendum, vel ad agendum saltem contrarium.

Authoritas.

Desumptum est ex ipsa S. Scriptura Eccl. 31. Beatum laudabilem dicente eum, qui potuit transgredi, & non transgressus: facere mala & non fecit. Et confirmatur unanimiter à Theologis & Philosophis.

Ratio.

Quia qui ad unum determinatus est, agitur potius, quam agit.